

re, ideoque conatus partis fratrum Hungarorum pro divisione compescuit;⁴⁰ immo Vicarios ejusdem suos commissarios in tota Vicaria cum jurisdictione, potestate et facultatibus omnia faciendi, quae »Generalis minister dicti ordinis pro tempore existens in illis habet, et si in dictis partibus praesens foret, habere et exercere posset«. ⁴¹ Anno vero 1445 denuo hunc cumulum jurium confirmavit et ad partes praesertim Transilvaniae extendit expresse edicens fratribus potestatem omnia in cura pastoralis necessaria necnon ipsum »oleum sanctum et chrisma conficere et benedicere«. ⁴²

Ad summum benevolentiae et longanimitatis in distributione jurium Vicariae Bosnae in materia curae pastoralis devenit Eugenius IV a. 1446 cum audierit in illis regionibus sacerdotes saeculares non esse optimae vitae, immo quaedam haeretica proferre, ex altera vero parte populum, praesertim in confinibus Hungariae et Transilvaniae, Franciscanos pro parochis desiderare. Propterea die 3 Julii a. 1446 fratres contra tales remissos ecclesiasticos potestate inquisitorum, qua pollent, procedere jussit. ⁴³ Alteris autem litteris ejusdem diei omnes quoscumque a Franciscanis hujus Vicariae conversos exclusivae eorum curae pastoralis subjecit ad hoc renovans et confirmans omnia jura, exemptiones etc. »sub quibusvis verborum formis quomodolibet« concessa. Deinde dat ipsis facultatem sacerdotes quoque saeculares ad eandem curam deputare sub dependentia ta-

⁴⁰ Ibidem, 413—414 n. 863.

⁴¹ Ibidem, 416 n. 868.

⁴² »... ac in illis (Populo Transilvaniae) eucharistiae, baptismatis, chrismatis seu confirmationis, extremae unctionis et alia ecclesiastica sacramenta ministrare, apostatas a fide seu religione ad poenitentiam salutarem et habitum suae religionis necnon aliis ad plenariam ipsorum reconciliationem recipere et admittere necnon omnia alia jura parochialia eis ministrare, regere et exercere, capellas quoque, altaria necnon calices et paramenta ecclesiastica, oleum sanctum et chrisma conficere et benedicere... de matrimonialibus et aliis spiritualibus causis cognoscere illasque decidere et in eis illam prorsus jurisdictionem habere et exercere, quam dioecesanus episcopus, si ibidem esset, habere et exercere posset«. Ibidem, 417 n. 868.

⁴³ Hüntemann, o. c. 495 n. 1005.